

fiant a majori parte Capituli. leg. *Sancimus* 22. Cod. de *pœnis*.

(24. Probabile periculum gravis damni in vita, bonis, et honore non liberat ab obligatione denunciandi Hæreticum formalem, etiamsi non dogmatizet; Bordon., in Tribunal. Fidei, cap. 31, num. 11. et in Manual. consult. sect. 23, num. 176. et sect. 17, num. 47. Diana, part. 1 tract. 4. resolut. 7. Bonacina loco cit. num. 6. Felix Potestas loco cit. num. 167. Carena loco cit. num. 34. cum pluribus aliis ab ipso citatis. Et ratio est, quia Hæresis formalis etiam non dogmatizantis est contra Religionem, et bonum commune totius Reipublicæ Catholicæ: bonum enim publicum, et commune prævalet bono privato, et proprio; c. *Scias frater* 33. caus. 7. quæst. 1, cap. *Bonæ memoriæ* 3, de Postulat. Prælator. et ibi Glossa verb. *Commune* leg. *Actione* 63. § 1, ff. *Pro socio*, novella 39, cap. 1. vers. *Ea enim*.

(25. Liberat autem tale probabile periculum ab obligatione denunciandi suspectum de Hæresi v. g. blasphemum, sortilegum, abutentem Sacramentis, et hujusmodi. Sic citati Doctores numero antecedenti. Et ratio est, quia suspicio Hæresis non ita serpit contra Religionem Catholicam, ut Hæresis: tum quia pœnæ latæ contra Hæreticos nullam faciunt mentionem de suspectis, adeoque sicut rigor pœnarum contra Hæreticos non extenditur contra suspectos; arg. cap. *In pœnis* 49. de Regulis juris in 6. cap. Statutum 22. de Election. in 6. leg. *Factum* 133. § 2. ff. de Regulis juris, leg. *Cum quidam* 19. ff. de *Liberis et posthumis* cum similibus; ita nec rigor denunciandi Hæreticum cum probabili periculo gravis damni in vita, bonis, et honore extendi debet contra suspectos.

(26. Licet quis, aut quæ semel tantum maleficium sortilegium, aut superstitionem fecerit, adhuc debet denunciari; quia Edicta Inquisitoris non præcipiunt denunciari exercentes talia delicta sed committentes... Qui autem, vel quæ semel tantum maleficium, sortilegium, aut superstitionem fecit vere delictum in Edictis comprehensum commisit adeoque debet denunciari, sicut denunciandus est Confessarius qui semel tantum sollicitavit; Felix Potestas l. c. n. 282. et alii.

(27. Accedens ad Confessionem animo non confitendi peccata, sed inducendi Confessarium ad Hæresim, est a Confessario denunciandus; Genuens. in prax. cap. 18. num. 16. alios allegans; Carena loco cit. n. 21; Felix Potestas loco cit. n. 280. cum aliis ibi allegatis. (28. Et ratio est, quia talis non est Sacramentalis Confessio, sed modus per-versus occultandi Hæresim et secreto alios pervertendi. Non tenetur tamen, nec potest Confessarius denunciare Hæreticum, quem talem scit ex vera ipsius Sacramentali Confessione. Sic Scotus in 4. dist. 21. quæst. 2. in responsione ad secundum argumentum, ubi dicit falsum esse sequens Juristarum argumentum: « Est hæresis crimen, quod nec Confessio celat. » Et sic tenet communis

Theologorum. Et ratio clara est, quia Confessarius nullo pacto potest frangere sigillum Sacramentale, cum ad illud teneatur triplici jure, scilicet Naturali, Divino, et Humano, seu Ecclesiastico. Vid. verb. SIGILLUM sacramentalis confessionis a n. 2.

(29. Immo nedum Confessarius, sed nec qui casu aliquo talem pœnitentem suam Hæresim Confessario vere sacramentaliter confitentem audivit, debet, ac potest denunciare, et revelare, quia nedum Confessarius, sed etiam alii casu audientes tenentur ad sigillum Sacramentale. Scotus in 3. distinct. 31. quæst. 2. §. *De quarta* conclus. litt. *H.* Bordon. in manual. consult. sect. 18. n. 26. Felix Potestas loco cit. num. 281. Vid. d. Verb. SIGILLUM a num. 7.

(30. Non excusatur tamen a denunciando Hæreticum formalem Confessarius sciens delictum ratione consilii a se petiti, nisi consilium a se petatur et detur in Sacramentali Confessione; quia in casu Hæresis formalis solum a denunciando excusatur secretum ex sigillo Sacramentalis confessionis; Scotus in 4. dist. 21. quæst. 2. §. *Ad argumentum*. litt. *M.* Felix Potestas loco cit. num. 262. et alii passim.

(31. Ab obligatione denunciandi Hæreticum, aut suspectum de Hæresi, non excusatur secretum naturale, et sub juramento de non revelando; Diana Resol. moral. par. 1. tr. 4. resolut. 24. alios allegans; Suarez de Fide disp. 20. sect. 4. n. 17. Sancterellus l. c. c. 9. n. 10. Pegna par. 2. comment. 18. Farinae. l. c. q. 197. num. 50. Felix Potestas loco cit. n. 261. Carena loco cit. n. 22. cum aliis apud ipsos. Et ratio est, quia servare secretum naturale est bonum privatum, illud vero manifestare est bonum publicum, cum illud tacere præjudicet bono publico; Bonum autem commune prævalere debet bono particulari per jura adducta supra numer. 24. Nec obstat juramentum de non revelando, quia juramentum non est institutum, ut vinculum iniquitatis; c. Quarto 18. de jure jurando, c. *Inter cetera* 22. caus. 22. quæstion. 4.

(32. Nec etiam excusatur ab obligatione denunciandi, si delictum sit occultum, et probari non possit, ex Decreto Alexandri VII. 24. Sept. 1661. proposit. 4. et sic communis Doctorum.

(33. Item non excusatur ab obligatione denunciandi, qui commissum ab aliquo delictum ad Sanctum Officium spectans audivit a persona fide digna; Bordon. in Tribunal. Fidei cap. 31. num. 21. Bonacina loco cit. num. 7. Leander de Sacrament. Pœnit. tr. 5. disp. 13. qu. 37. Felix Potestas loco cit. n. 264. et alii passim. (34. An autem denunciare teneatur, qui audivit a persona levi, et non fide digna? Vid. verb. CONFESSARIUS quoad *sollicitationem*, num. 36.

(35. Quando plures sciunt ab aliquo commissum fuisse delictum ad Sanctum Officium spectans, etiamsi unus denunciaverit, non excusantur alii ab obligatione denunciandi, quia obligatio denunciandi omnes stringit, nec sunt superflue aliorum denunciations,

quia semper addunt nova testimonia; ita ut sint plures testes ejusdem singularis delicti sicque facilius convincatur delinquens; Bordon. in manual. consult. sect. 18. n. 30. Felix Potestas l. c. n. 251. et 594.

(36. Denunciatio Hæretici ex malitia, aut suspecti de Hæresi est faciendâ nulla præmissa correctione fraterna, etiamsi firmiter emendatio speretur. Habetur expresse ex Decreto Sanctissimæ Inquisitionis de mandato Alexandri VII. edito die 8. Junii 1660. incip. *Licet alias*. ibi: « Etiamsi nulla fraterna correctio, vel alia monitio præmissa fuerit, omnino teneri etc. ad denunciandum. » Et Doctores communiter, qui tamen volunt esse præmittendam correctionem fraternam, quoad eos, qui non ex malitia, sed ignorantia, vel simplicitate aliquem habent errorem, aut aliquam proferunt falsam, ac inconsideratam propositionem, maxime si nulla de ipsis habeatur fundata suspicio, quod sint Hæretici.

(37. Denunciatio delictorum ad Sanctum Officium spectantium faciendâ est intra præfixum terminum in Edictis Inquisitorum, seu Ordinariorum, qui in Edictis Supremæ, et universalis Inquisitionis Romanæ solet esse, vel triginta dierum, ut in Edicto de anno 1677, adducto supra n. 1. vel 12. dierum, ut in Edicto de anno 1623. relato supra n. 10. In Edictis autem Inquisitionis Hispaniæ solet esse sex dierum. Et in Edictis Inquisitorum, et Episcoporum Italiæ solet esse duodecim dierum, ut patet in Edicto Generali Sancti Officii Cremonæ edito 26. Octob. 1639. una simul ab Eminentissimo Cardinali Petro Camporio ejusdem Urbis Episcopo, et a Reverendissimo Patre Magistro Petro dictæ Civitatis, et Dioecesis Inquisitore, relato a Carena loco cit. sub. 24. ubi in fine § septimi testatur se præmittere Edicti totius formam eo modo, quo ex Sacra. Congregationis Sancti Officii præscripto solet in Italia publicari. Unde pro cognoscendo termino ad faciendam denunciationem præfixo sunt inspicienda, et attendenda Edicta cujusque respective Dioecesis, et Provinciæ.

(38. Qui sine justa causa, et legitimo impedimento non denunciavit talia delicta intra præfixum terminum in Edicto suæ Provinciæ, seu Dioecesis, peccat mortaliter, et incurrit ipso facto excommunicationem reservatam Summo Pontifici, et Inquisitoribus, seu Ordinariis. Habetur expresse ex Constit. Greg. IX. incip. *Excommunicamus*, Innoc. IV. incip. *Noverit universitas*, Nicolai IV. incip. *pariter Noverit universitas*, Greg. XV. incip. *Universi Dominici Gregis*, Pauli V. incip. *Romanus Pontifex*. Ex Decr. Alexandri VII. incip. *Licet alias*. Ex Edictis Supremæ, et Universalis Inquisitionis Romanæ, relat. supra num. 1. et 12. Et ex Edictis particularium respective Inquisitorum seu Ordinariorum.

(39. Qui intra dictum præfixum terminum talia delicta non denunciavit, tenetur adhuc post elapsum dictum terminum denunciare. Nam prædictus terminus non apponitur in

Edictis ad finiendam, sed ad sollicitandam obligationem denunciandi. Communis.

(40. Denunciatio in Regnis Hispaniarum fieri debet solis Inquisitoribus: In aliis vero Regnis, et Provinciis potest fieri etiam Episcopis; Diana part. 1. tr. 4. resolut. 28. Fagundez in secund. præcep. Ecclesiast. lib. 4. cap. 3. num. 31. Felix Potestas loco cit. n. 39. Carena loco cit. n. 36. et seq. et alii passim. Colligitur aperte ex citat. Constit. Gregorii in materia sollicitationis mandante fieri denunciationem *Inquisitoribus, seu Locorum Ordinariis*. Nec per alias Constitutiones delegantes ad id specialiter Inquisitores intelligitur ablata jurisdictio quæ alias competeat Ordinariis: Tum quia in hac nostra Provincia Mediolanensi Edicta quæ publicantur, emanant sub nomine Episcoporum, et Inquisitorum, teste Carena loco cit. sub n. 37. Qui tamen ibidem num. 38. merito consulit Episcopis ut hujusmodi denunciaciones mittant ad Inquisitores, quia in Sancto officio melius formantur processus ratione secreti, quam in Curiis Episcopalibus, et multa evitantur dispendia.

(41. Pœnitens, qui ob non factam denunciationem intra præfixum terminum incurrit Excommunicationem, quamvis accedat ad Confessarium, et promittat se statim denunciaturum, non potest ab ipso absolvi, licet sit Privilegiatus. Vide verb. CONFESSARIUS quoad *sollicitationem*, n. 51.

(42. Pœnitens qui ob omissam denunciationem incidit in excommunicationem, facta postea denunciatione potest quidem absolvi a Privilegiato, non autem a simplici Confessario. Vide ibid. n. 52.

(43. Sic pœnitens, quia intra debitum tempus non denunciavit, quamvis postea ex aliqua causa extingatur onus denunciationis, non potest absolvi a simplici Confessario, sed solum a Privilegiato, Vide ibid. n. 53.

(44. Regulariter loquendo Confessarii non debent absolvere pœnitentes obligatos ad denunciandum, antequam actu denuncient. Vide ib. n. 55.

(45. In aliquibus tamen casibus expedit, quod Confessarii ipsos absolvant ante factam denunciationem. Vide ib. n. 56.

(46. Confessarii cautissime procedere debent circa imponendam pœnitentibus obligationem denunciandi ib. n. 57.

(47. In casu, quo reperitur vera obligatio denunciandi, nec possit pœnitens induci ad personaliter denunciandum, ut sæpe accidit in verecundis nobilibus mulieribus, et Monialibus, servanda est Praxis juxta Decretum supremæ Universalis Inquisitionis Romanæ jussu Urbani VIII. 27. Septembris 1624. editum. Quod si neque ad id possit talis verecunda pœnitens flecti, recurrendum est ad S. Sedem, et interim tamquam indisposita nequit absolvi. Vide ib. n. 58.

(48. Quamvis Confessarius non moneat pœnitentem de obligatione denunciandi, adhuc pœnitens ad id tenetur. Vid. ib. n. 60.

(49. Confessarii, qui culpabiliter, et malitiose non moneant pœnitentes de obligatione denunciandi, seu docent ad id non

teneri, sunt denunciandi Episcopis, vel Inquisitoribus, qui possunt, et debent illos punire pro modo culpæ. Vid. ib. n. 61.

(50. Denunciations debent fieri in scriptis cum expressione nominis, et cognominis denunciantis, et subscriptione illius, si scit scribere, et non denuncians hoc modo non potest absolvi. Unde non sufficit denunciare schedulis, aut Epistolis sine nomine, aut cognomine Auctoris, aut aliis modis incertis, de quibus nullatenus curatur in Tribunali S. Officii, ut patet ex verbis Edicti relati supra sub n. 1. Sic Genuens. In praxi cap. 18. n. 2. Lazar. de Blasphem. q. 12. n. 47. Carena l. e. n. 27. cum aliis ibi allegatis.

(51. Omittentes denunciare Hæreticum, cum possunt, et ad quod tenentur ex officio, ut sunt Notarii, socii, satellites, et similes ex officio servientes Sancto Tribunali, et testes legitime interrogati veritatem celantes, aut minuentes, sunt suspecti de Hæresi, et fautores Hæreticorum, adeoque ultra Excommunicationem Edicti, incurrunt Excommunicationem Bullæ Cœnæ, et sunt denunciandi; Farinac. de Hæresi quæst. 197. n. 38. et 48. Lazar. de Blasphem. quæst. 12. n. 11. Sanctarel. de Hæresi cap. 9. n. 19. Leonard. Duard. ad bullam Cœnæ Domini lib. 2. Canon. 1. qu. 32, n. 12; Pegna ad Director. part. 2. comment. 78. vers. Postremo; Felix Potestas loc. citat. n. 286. Receptor. Inquisitor. in verb. *Fautores*, vers. *Item indicatione*; Decian. in tract. criminal. lib. 5. cap. 51. n. 25; Carena loc. cit. n. 41. et 42. et alii plures apud ipsos (52. Si autem supradicti omittant denunciare Hæreticum, non in defensionem, et favorem Hæresis, sed ob aliam causam in se honestam, v. gr. ob metum cadentem in constantem virum, ob consanguinitatem, amicitiam et hujusmodi, nec sunt suspecti de

DENUNCIATIONES MATRIMONII.

Vide verb. MATRIMONIUM, quoad denunciations.

DEPOSITIO.

Vide verb. DEGRADATIO, per totum.

DEPOSITUM, DEPOSITARIUS.

SUMMARIUM.

1. Depositum potest accipi, et pro re deposita, et pro contractu; et quid sit ntrumque.—2. Depositum ut sic dividitur in Judiciale, et Privatum; et quid sit Depositum Judiciale.—3. Depositum Judiciale alio nomine dicitur *Sequestrum*, seu *Sequestratio*. Et hæc Sequestratio potest esse voluntaria, vel necessaria.—4. Quæ sit utraque hæc sequestratio, ad n. 5.—5. Assignatur aliud genus Depositum Judicialis.—6. Depositum Privatum quid sit, et quale sit.—7. Depositarius non potest uti re deposita sine consensu expresso, vel tacito deponentis, aliter furtum committere censetur.—8. Si tamen Depositarius bona fide existimet id Domino non displicere, tunc non peccabit utendo, nec furti actione tenebitur.—9. Depositarius debet Depositum custodire, et servare ea fide ac diligentia, qua custodit, et servat res proprias.—10. Depositarius tenetur rem depositam restituere talem, qualem accepit, non comminutam,

Hæresi, nec ullam incurrunt Censuram: quia sicuti Censura fertur in Hæreticum propter Hæresim, ita ferri debet in fautores Hæreticorum ut talium, cum accessorium sequi debeat suum principale; cap. *Accessorium* 52. de regul. juris in 6. l. *Nihil dolo* §. *Cum principales* 129., et l. *Cum principalis* 578. ff. de *Regulis juris*. Sic Doctores citati, et alii passim.

(53. Sic etiam omittentes denunciare suspectum de Hæresi, non sunt ita suspecti in Hæresi, ut sint denunciandi, quamvis possint puniri omnibus pœnis statutis in Edictis Inquisitorum; Carena l. e. n. 46. Lupus apud Bordon. in Manual. consult. sect. 18. n. 72. qui licet dicat ibi sub dicto num. 72. tales omittentes dictam denunciationem esse suspectos de levi, tamen sub n. 73. subjungit, quod non sint denunciandi. Et ratio conclusionis est, quia, ut recte dicit Carena l. e. alias contra omnes regulas juris præsumptio oriretur ex præsumptione, et suspicio ex suspicione.

(54. Legitime impeditus, durante impedimento, non tenetur denunciare per alium, quia obligatio denunciandi est personalis. Immo si cum primus habet notitiam delicti denunciandi, adest legitimum impedimentum ad denunciandum per semetipsum, tunc durante tali legitimo impedimento, potest a quolibet simplici Confessario absolvi cum firma promissione denunciandi, impedimento cessante. Tunc enim non habetur reservatio, nec delictum non denunciando, cum ad impossibilia nemo obligetur; cap. *Nemo potest* 6. de *Regulis juris* in 6. leg. *Impossibilium* 185. ff. de *Regulis juris*.

(55. Alia ad rem. Vide verb. HÆRETICUS, verb. LIBRI PROHIBITI, verb. SIGILLUM sacramentalis confessionis, verb. CONFESSARIUS quoad sollicitationem, verb. SUPERSTITIO.

etc.—12. Depositarius tenetur de dolo, et culpa lata.—13. Et adeo tenetur de dolo, ut neque valeat pactum de dolo non præstando.—14. Hoc tamen intelligi debet solum de remissione doli futuri, non vero de remissione doli præteriti.—15. Depositarius non tenetur de culpa levi, et levissima.—16. Excipiuntur tamen plures casus, in quibus Depositarius tenetur etiam de culpa levi. Primo scilicet, quando expresse convenit, ut etiam culpa levis præstentur.—17. Secundo, Depositarius tenetur etiam de culpa levi, si seipsum ad recipiendum Depositum obtulit.—18. Tertio, Depositarius tenetur etiam de culpa levi, si mercedem pro custodia recepit.—19. Quarto, Depositarius tenetur etiam de culpa levi quando requisitus ut Depositum redderet, est in mora reddendi.—20. Depositarius non obligatur ad præstandum casum fortuitum, exceptis tribus casibus, si videlicet pactum culpa, et mora culpabilis præcessit casum fortuitum.—21. Depositor potest statim quando-

rius tenetur statim rem depositam restituere.—22. Immo depositor potest restitutionem Depositum sui reposcere etiam antequam sit elapsum tempus, pro quo res deposita fuit.—23. Dantur tamen plures casus, in quibus Depositarius rem Depositam restituere statim non tenetur, sed restitutionem differre potest, vel etiam debet. Primo scilicet, res deposita non est statim restituenda Depositori illam repenti, quando aliquid de novo emergit restitutionem impediens.—24. Secundo, si ex restitutione certe, vel probabiliter timetur secuturum damnum spirituale, vel temporale ipsi Depositori, vel alicui alteri.—25. Tertio, quando bona Depositoris ob aliquod crimen sunt confiscata.—26. Quarto, quando Dominus, et fur, qui rem furto ablatam apud aliquem deposuit, concurrunt in illa repetenda.—27. Si tamen, domino non comparente, solus fur rem furtivam depositam repetat, tunc est ei restituenda.—28. Quinto, quando fur rem furatam deposuit apud Dominum ejus ignorantem pro tunc rem esse suam, non tenetur Dominus eam furi repenti restituere.—29. Depositarius non potest retinere rem depositam pro compensatione alicujus crediti erga Depositorum.—30. Ex deposito facto penes Clericum v. g. Canonicum, aut Religiosum, seu Rectorem Ecclesiæ, vel Monasterii non potest obligari Ecclesia, vel Monasterium.—31. Teneretur tamen, si res illa deposita fuerit conversa in utilitatem ipsius Ecclesiæ, vel

(1. Depositum potest accipi et pro re deposita, et pro contractu. Depositum sumptum pro re deposita definitur sic: *Depositum est, quod custodiendum alicui datum est*; leg. 1. ff. *Depositum*. Depositum sumptum pro contractu, sic definitur: *Est contractus, quo aliquid alicui custodiendum traditur, sine mercede, ut integrum restituatur*; colligitur ex cit. l. 1. juncta Glossa verb. *Datum*, et est in re communis. (2. Depositum ut sic dividitur in Judiciale et privatum. Depositum Judiciale est, quando res in judicio controversa apud aliquem tertium deponitur, seu ipsi committitur custodienda, ut lite finita victori restituatur. (3. Depositum Judiciale alio nomine dicitur *sequestrum* seu *sequestratio*; quæ sequestratio potest esse vel voluntaria, vel necessaria. (4. Sequestratio voluntaria est illa, quæ fit mutuo partium consensu; ut cum partes de aliqua re litigantes, ratione scandali vitandi, vel alia de causa, voluntario, et mutuo consensu rem illam deponunt apud tertium, ut eam interim custodiat, et postmodum tradat vincenti. (5. Sequestratio necessaria e contra est illa, quæ fit auctoritate, et mandato Judicis, et dicitur necessaria, quia fit sine communi partium consensu, ac plerumque altera parte invita, simulque quia necesse habent partes litigantes tali sequestro stare, eidemque obtemperare. (6. Aliud genus depositi Judicialis assignatur, et contingit tunc, quando debitor offert creditori debitam pecuniam, et creditor eam recusat accipere; tunc enim debitor ad usuras, vel alias molestias evitandas, potest eam consignare, seu deponere apud Judicem, textu expresso in l. *Acceptam*, C. de *Usuris*, ubi subjungitur, quod hoc modo debitor, et a solutione legitimarum usurarum (seu *interesse*,) et a periculo casus fortuiti liberetur, et jus pignorum tollatur. (7. Depositum privatum est, quod fit privata partium

Monasterii.—52. Sic etiam Ecclesia, vel Monasterium obligaretur adinstar aliorum Depositariorum, quando Prælatum una cum Capitulo, seu Conventu depositum in suam fidem, vel custodiam recepisset.—53. Depositarius, si in periculo naufragii, hostilis incursus, vel incendii nequit res suas, et alienas servare, potest res suas pretiosiores salvare præ alienis minus pretiosis.—54. In tali casu Depositarius salvando res proprias pretiosiores, et deferendo alienas penes se depositas, nihil tenetur restituere.—55. Si res depositæ sint pretiosiores rebus propriis Depositarii, et utrasque salvare non possit, tenetur Depositarius eas præferre rebus suis vilioribus, illasque salvare, postpositis propriis minoris pretii.—56. Depositarius, qui aliena pretiosiora propriis minus pretiosis præferendo passus est jacuram, potest compensationem damni exigere.—57. Immo si Depositarius non sit moraliter certus se posse recuperare a domino rei alterius pretium, seu compensationem damni passi in præferendo rem alteram pretiosorem suæ viliori, ad id non teneretur.—58. Si res propria, et aliena sint æqualis valoris, et nequeat Depositarius utrasque salvare, tunc potest Depositarius salvare proprias, dimissis alienis.—59. 45. De Deposito *Miserabili*.—46. 51. De Deposito *Irregulari*.—52. 57. De Deposito *Regulari*.

auctoritate, ut quando apud privatum aliquem, de cujus fide, et diligenti cura deponens confidit, res aliqua deponitur, ut eam rite custodiat.

(8. Depositarius non potest uti re deposita absque consensu expresso, vel tacito ejus, qui deposuit, alioquin furtum committere censetur, textu expresso in l. *Si sacculum*, ff. *Depositum*, ibi: « Si sacculum, vel argentum signatum deposuero, et is penes quem depositum fuit, me invito contrectaverit, et depositi, et furti actio mihi in eum competet. » Sic etiam statuitur, § *Furtum autem*, Institut. de *obligat. quæ ex delicto nasc.* ibi: « Sive creditor pignore, sive is, apud quem res deposita est, ea re utatur, furtum committit. » (9. Notanter autem dicitur, *sine consensu expresso, vel tacito ejus, qui rem deposuit*, ut intelligatur, quod si depositarius bona fide existimet Domino id non displicere, si utatur re deposita, tunc non peccabit utendo, nec furti actione tenebitur; et hoc multo magis, si Dominus expressam licentiam utendi concesserit; cit. l. *Si sacculum*, § *si permissio meo*, ff. *Depositum*.

(10. Depositarius debet depositum custodire, atque servare ea fide, cura, et diligentia, qua solet custodire, et servare res proprias: textu expresso in leg. *Quod Nerva*, ff. *Depositum*, ibi: « Nisi tamen ad suum modum curam in deposito præstet, fraude non caret; nec enim salva fide minorem iis (*depositis*) quam suis rebus diligentiam præstabit. » (11. Depositarius tenetur rem depositam restituere talem, qualem accepit, id est non fractam, non comminutam, nec aliquo modo sua impetibili culpa deterioratam, alioquin non videtur res reddita, et potest contra eum agi actione depositi; textu expresso in l. 1. § *An in pupillum*, ff. *Depositum*, ibi: « Si res deposita deterior reddatur, quasinonreddatur, agi actione Depositum potest; cum enim deterior redditur,